

Wa  
264





9

J. J.  
DISSERTATIO II.  
De  
NUMMIS  
SEREN. SAXONIÆ  
DUCUM,

qva  
Rerum naturalium Fautores,  
ut  
ORATIONI VALEDICTORIÆ  
de  
LAPIDE BEZOAR

In Schola Altenburgensi  
*X. KL. Mart. A.C. cl<sup>o</sup> l<sup>o</sup> LXXIX.*  
habendæ interfint,

officiose invitat  
M. PAULUS MART. SAGITTARIUS,  
Rector.

---

Altenburgi, Literis Richterianis





*A*se primam finii dissertationem: Secundæ initium *Senarius* faciat. *Senarium* autem dum nomino, non ad valorem, quo quondam percussus, sed ad pretium, quo ævo nostro æstimatur, me digitum intendisse, putes; Qui enim *Senario* hodie valet nummus, olim *Quaternarium* ponderabat, ut ex ejusmodi nummorum numero cognoscere licet, quorum sexaginta *aureum Rhenanum* viginti grossis Majorum tempore æquivalentem constituebant. Ut fidem liberem, testes laudo omni exceptione majores Joh. Matthesium in Sarepta Conc. XIV. f. 152. a. Fabritium l. 7. Orig. Sax. f. 754. & literas contractus Capituli in Monasterio B. Virginis die Jovis post Bartholomæi A. 1439. datas, in quibus Barbaræ, Johannis Bohemii uxori, altare S. Bartholomæi honori in Basilica B. Virginis erigenti quinque sexagenæ cum viginti grossis traduntur. Ut ipsa literarum verba adducantur, operæ pretium judico: Zu dem gnanten neuen Altar haben wir gnanten der obgnanten Frauen Barbaran recht und redelich vorkaufft ffunff Schoog und zwenzig Grosschen allis gute neue schildichte grosschen ffreyberger Munze Als eyn grossche dry alde grosschin gilt Zerlicher Zcinße.

Primum inter *Senarios* locum nummo tribuo, quem *Balthasar*, Friderici Gravis filius, Freibergæ signa-

ri



ri iussit. Antica illius pars Leonem erectum exhibet cum  
litera n. inter secundum & tertium pedes, & in ambitu  
verba sequentia: GROSSVS MARCH. MISNENSIS.  
Postica dat *crucem*, cujus extremitates forma tricuspidali  
conspicuae circello paululum inflexo inclusae videntur.  
Ad quatuor Crucis angulos X. & literae V. R. B. (*Briberg*)  
comparent, quas in omnibus Senariis Crucis forma infi-  
gnitis observavi. In Peripheria haec leguntur: BALTH  
DI. GRACIA. TVRING. LANG. Secundam ab eo  
sedem occupet *Senarius* à *Wilhelmo* I. Coclite, Balthafa-  
ris fratre, Freibergae A. 1390. cufus, in cuius una parte Leo  
erecto stans corpore & exigua Crux intra secundum ac  
tertium ejus pedem cum verbis circumscriptis: GROS-  
SVS MARCH. MISNENSIS. In altera vero Crux jam de-  
scripta &, quae sequuntur, verba: WILH. DI. GRACIA.  
TVRING. LANGRAVIS. Proximum huic adpono  
*Senarium* iussu *Friderici Bellicosi*, Friderici Strenui ex  
Catharina Hennebergica filii, Septemvirali Saxoniae axi-  
omate nondum decorati, formatum, quem *Landesber-*  
*gensem* voco à parmula *Marchionatus Landesbergen-*  
*sis* duobus palis distincta. Portatur haec à Leone erecto  
verbis sequentibus circumferentiae impressis: GROS-  
SVS MARCH. MISNENSIS. Alterum latus figura  
Crucis antea delineatae & hisce verbis notatum est:  
F. DEI. GRACIA. TVRING. LANT. Posthaec insigne  
Landesbergense cernitur. Ejusmodi monetæ genus i-  
dem cum fratre *Wilhelmo* II. *Divite* confici curavit  
cum priori per omnia conveniens, nisi quod in averfa  
parte & quidem illius ambitu scutum Landesbergense



& hæc extent verba : F. W. DEI. GRACIA. TVRING.  
LANG. Nec aliam obvertit faciem nummus, quem e-  
jusdem *Friderici* Electorali Saxoniae dignitate A. 1423.  
maectati auspiciis conflatum asservo. Prior pars ostendit  
Leonem erectum & verba sæpius allegata: posterior ve-  
ro Crucem supra expositam & in extremitate Gladios  
duos in decussim trajectos cum verbis : F. DI. GRACIA.  
TVRING. LANG. Ad filios *Friderici* antequam pro-  
grediar, fratris *Wilhelmi* mentionem injiciam. Hujus  
nomen solum in *nummo* quodam *Landesbergensi* in-  
veni, postquam *Ducis Saxonie* titulum cum Fratre con-  
secutus erat. Ab una parte *Leo* cum scutulo *Landes-  
bergensi* & verbis jam memorandis deprehenditur :  
GROSSVS MARCH. MISNENSIS : in altera Crux,  
nec non *Ruta*, Ducatus Saxonici insigne, in circumfe-  
rentia adjectis his vocibus : W. DI. GRACIA. DVX.  
SAX.-- Filios *Friderici Bellicosi*, *Fridericum Placidum*  
& *Wilhelmum III.*, quod concernit, eorum quoque man-  
dato *nummos Landesbergenses* percussos esse, partim  
*Fabritius l.c.* memoriae prodidit, partim ex eo, qui subji-  
cietur, nummo patebit. Primo ejus lateri *Leo* parmu-  
la *Landesbergensi* instructus inhæret una cum verbis :  
GROSSVS MARCH. MISNENSIS. alteri vero Crux, &  
in peripheria *Ensis duplex*, *Ruta*, ut & hæc verba : F. W.  
DEI. GRACIA. TVRING. LANG. Horum sexaginti  
aureum *Rhenanum*, teste *Fabritio l.c.* faciebant. A *Se-  
nariis Landesbergensibus* ad alium transeo, qui uno in  
latere *parmulam Leone erecto insignem* conspiciendam  
præbet, & circa eam : GROSSVS MARCH. MISNEN-  
SIS:



SIS: in altero Crucem, cujus medio Leo impositus & hæc in margine verba: F.F.S. DEI. GRACIA. TVRING. LANG. Qui vero literis F. F. S. indigentur, numero Platonico videtur obscurius. *Fridericos & Sigismundum* denotari, initiales literæ svadent; *Fridericum* nempe *Placidum*, *Fridericum Simplicem*, *Balthasaris* filium A. 1440. *Wisensehæ* defunctum & *Sigismundum* *Placidi* fratrem, *Episcopatus Herbipolensis* honore nondum ornatum. Huic explicationi quæ possent opponi, non ce- labo. Desiderantur *Gladii & Ruta*, nec *Wilhelmi* eodem cum *Sigismundo* jure gaudentis nomen apparet. Quod etiam *FridERICI Simplicis* mentio fiat, dubio non adeo caret; Ejus enim nomen in monetis antecedentibus nunquam est animadversum. Quod primo reponam du- bio, nondum mihi suppetere ingenuè fateor, nisi tunc expeditum esse dicam, quod *Agnati & Fratres* de insigni- bus *Saxonis* omittendis convenerint. Alterum solutu- est facilius; *Wilhelmus* enim, quo nummus hic percuf- sus, tempore pubertatis annos nondum attigerat. Terti- um quoq; tolli posse videtur, si *Fridericum Placidum & Sigismundum* deliberato consilio fecisse statuamus, ut *Agnati FridERICI* nomen monetis imprimeretur, utpote cujus provinciae jure hæreditario ipsis aliquando obtin- gerent. Qui meliora his novit, me ut conscium reddat, amicè rogatur. Diutius autem hisce immorari nolo, cum alii adhuc supersint nummi memoratu dignissimi, & quidem *Senarius* ab *Ernesto, Wilhelmo & Alberto* An. 1478. cusus, cujus unum latus *parmulam Leone erecto superbientem* & in extremitate verba suggerit inseqven-  
tia:





tia: GROSSVS. NOVVS. MARCH. MIS. 78. alterum vero Scutum Saxonicum figuræ hexagonæ inditum & verba: E. W. A. D. G. DVCS. SAX. TVR. LANPIS. Huic succedat *Grossus Gladius* ] *Schwerd. Groschen*] à *gladiis* decussatim junctis nomen habens & A. 1457. à *Friderico & Wilhelmo* signatus, si Paulo Langio in Chron. Citic. f. 866. fides tribuenda. Ita autem ejus verba se habent: A. MCCCC LVII. *grossi monetarii gladiati primo sunt percussi & imprimis XXVIII. fecerunt florenum.* Atque secundum hanc Langii computationem unus *Gladius* Sestertio valeret, quod vix ac ne vix quidem admittendum, nisi cum Mollero in Annalibus Freiberg. p. 104. asserere malis, *Gladiati*, quem vocat *Dimidium*, valorem, moneta minoris ponderis has in terras illata, Solis instar, elapsa Bruma, ascendisse. Quæ ipsi figura, indicare nequeo, cum talismodi nummus meum nondum subierit conspectum. Aliam *Grossi Gladiati* speciem *Ernestus & Albertus* suppeditant, quorum voluntate A. 1482. conflabatur, *Senarii* valore juxta Fabritium l. VII. O. S. f. 790. ubi *quadraginta Gladiatos* aureo Rhenano respondere scribit: aut *Quinari cum obulo*, ut Constitutio Provincialis *Ernesti & Alberti* Dresdæ die Lunæ post Dominic. Quasi-modogeniti A. 1482. promulgata & Corpori Juris Saxonici inserta, f. 2. pluribus docet. Quoad figuram, una illius pars monstrat Gladios hexagono inclusos & sequentes in ambitu literas: E. A. D. G. DVCS. SAX. TV. LANARIVS: secunda vero Leonem in trabibus transversim positum currentem (quod Comitatus Martisburgici insigne) & circa eum verba: GROSSVS. NOVVS. DVCVM. SAXONI. 82.

Hoc



Hoc enim anno de monetæ mutatione actum esse, Fabritius l. c. tradit. Eadem in *Gladiatis*, quos *Friderico Sapientis, Alberto & Johanni* vendicamus, conspiciuntur, nisi quod pro E. A. literæ F. A. J. anno omisso, legantur. Ab hoc tempore ad annum currentis seculi quintum & sexagesimum usque Senarium formatum esse, non memini. Eo autem Seren. Saxoniae Elector *Johannes Georgius II.* Circuli Superioris Saxoniae nomine ejusdem valoris monetam cudi voluit, cujus pars anterior panno Imperiali, in quo numerus 6. & literæ pone sculptæ CR. habetur notata, cum literis his marginalibus: OBER. SAX. KREISS. posterior autem Gladiis & Rutâ cum pileo Electorali subjectis numeris: 1665. *Senariis* recensitis, quorum maximam partem *Grossorum* nomine, in laxiori tamen significato, appellari, peripheriæ indicarunt, unum adhuc adjicio ob canitiem, quæ venerabilis, vel primo memorandum loco. Memorassem etiam, nisi literæ usu nimio penitus periissent. Prior facies offert Leonem erectum parmulam, in qua *dua Stella* cum *area dissecta* gerentem & in ambitu: FRIDERICVS DEI GRACIA. LA. Posterior *Crucem*, & in margine *unam Stellam* repræsentat cum literis, quæ, quod usu attritæ, oculorum aciem effugiunt. Si tam felici mihi esse continget, ut ejus generis alium nanciscar, integrum, annuente Deo, exhibebo. Interea curiosus Lector de parmula sciat, quod *Comitatus Ilenburgici* insigne referat, quem *Wilhelmum I. Coclitem* emtionis titulo A. 1395. acquisivisse, Albinus in Albo Saxonico p. 243. & in Chron. Misn. tit. xv. f. 203. scriptum reliquit.

Ut colophonem huic dissertatiunculæ imponam,



nam, non tam chartæ penuria, quàm *honestum honesti  
Juvenis* propositum svadere videntur; Nempe JO-  
HANNES MARTINUS Ehrlich/ ingenii dotibus, mo-  
rum honestate & obsequiis cuius bonorum percharus,  
Viri Amplissimi, Consultissimi atque Prudentissimi Dn.  
JOH. MARTINI Ehrlichs / Causarum Patroni felicissi-  
mi, & Civitatis nostræ Consulis Spectatissimi, Promoto-  
ris atque Affinis mei colendi, de tribus filiorum natu ma-  
jor, Illustrem Salanam prius adire dubitavit, quàm Pa-  
tronis in Schola Patria se sisteret Oratiunculam habendo,  
quàm de Lapide BEZOAR exoptato successu conscri-  
psit. Habebit autem ad diem crastinum hora II. pome-  
ridiana in spem, ut ego quidem credo, verissimam addu-  
ctus fore, ut Musagetæ hic locorum degentes frequentes  
conveniant benevolis auribus excepturi, partim quæ de  
laudato *Lapide* & gratiis agendis commentatus est, par-  
tim quæ Commilitones fundent vota; Nam

JOH. Sancthândel/ Altkirchensis, Ebraeo,

SAL. AUGUSTUS Clauder/ Altenb. Græco,

JOH. CHRISTIAN. Ehrlich/ Alt. Latino,

JOH. DAVID Poetsch/ Göltnicensis &

JOH. PHILIPPUS Ehrlich/ Altenb. Germanico,

sermone à legibus metricis libero propitios viales ipsi ap-  
precabuntur. Vestri igitur, Musagetæ optimi, amoris er-  
ga Ampliss. Dn. *Consulem*, & favoris in *filium* ejus abitu-  
rientem erit, recitanti frequenter adesse. Sic quod de se  
ipso *Plinius Junior* l. I. Ep. 13. scripsit, de Vobis pubes no-  
stra Scholastica prædicabit. Is autem *prope nemini reci-  
tanti defuit*. Valete! P. P. Altenb. XI. KL. Mart.

A. C. cl̄o l̄oc LXXIX.










gitum intendiss  
 numinus, olim  
 modi nummo  
 sexaginta aure  
 tempore æqviv  
 rem, testes laud  
 sium in Sarepta  
 Sax. f. 754. & l  
 B. Virginis die  
 quibus Barbara  
 tholomæi hon  
 sexagenæ cum  
 rum verba add  
 gnanten nuwei  
 Frauen Bar  
 Schog und zeit  
 te grosschen sfer  
 grosschin gilt  
 Primum  
 quem *Baltha*



ationem:

ciat. *Sena-*  
 on ad valo-  
 s, sed ad pre-  
 atur, me di-  
 hodie valet  
 t, ut ex ejus-  
 et, quorum  
 is Majorum  
 t fidem libe-  
 oh, Matthe-  
 im l. 7. Orig.  
 Monasterio  
 439. datas, in  
 ultare S. Bar-  
 genti quinq;  
 It ipsa litera-  
 ico: Zu dem  
 r obgnanten  
 kaufft sfunff  
 we schildich-  
 sche dry alde  
 mo tribuo,  
 bergæ signa,  
 ri

